

Q. B. C.

DISSERTATIONIS,
HISTORIAM
ECCLESIAE REFOR-
MATÆ IN SUETHIA,
EXHIBENTIS,
PARS ALTERA,

QUAM

Suffrag. Ampliss. SENAT. Philos. Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

M_{AG.} JOHANN E
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

PRO GRADU Defendet

GABRIEL TIDGREN,

WESTRO - GOTHUS.

IN AUDITORIO SUPER. DIE 29. APRILIS ANNI MDCCCLXIX,
Horis Antemeridianis.

ABOÆ Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§. VIII.

Sicut Svethiæ Regem, gl. m. GUSTAVUM ADOLPHUM in gloriam gentis Hyperboreæ, & in solarium oppressæ Religionis Evangelicæ Divina destinaverat Providentia; ita quoque, quod Herois proprium est, inde a teneris plurima constantiæ edidit specimina. Præcipue in Religionis negotio, Ecclesiæ, quantum animo viribusque conniti potuit, tam intra quam extra Patriam promovit halcyonia. Quamvis igitur Patrem CAROLUM IX tenerrimo prosequeretur amore, ejusque caussam, quum ipse contra malevolos verba pro se amplius facere non posset, consignato egregio Scripto in se suscepit; nullo tamen constat documento, quod disceptationibus Religiosis, quibus delectabatur CAROLUS, tese immiscuerit, nedum easdem fomentaverit. Ecclesiæ igitur Reformatæ addictis exigua admodum sub illius imperio adfulsit spes, stabilem in Svethia sedem ac liberum Religionis suæ exercitium obtinendi. Non equidem suis defuerunt partibus Calviniani, in aula tunc præpollentes, sed horum moliminiibus mature sese opposuit Mater GUSTAVI ADOLPHI Regina CHRISTINA, ADOLPHI Holsatiæ & Slesvici Ducis Filia, ac PHILIPPI MAGNANIMI, Hassiæ Landgravii, Neptis. Accesit fidelissima institutio IOHANNIS SKYTTE, cui eruditum Filium Pater tradiderat. Circa ipsa imperii auspicia Rex hic intervertit molimina Calvinianorum, qui CAROLO persuaserant, ut in nova Bibliorum versione, quam meditabatur, potissimum sequeretur translationem Bibliorum Germanicam, a JOH. PISCATORE, Herbornensi, Calvinista Incluto, editam, Orthodoxis Theologis, quibus hoc opus commisit, injungens, ut versionem

B. LU-

B. LUTHRI Germanicam sequerentur (a). Circa idem ferme tempus quam fama pietatis Regis nostri per exteriores ejam regiones increbresceret, Academia Heidelbergensis misit in Svetiam Dav. PAREUM, Theologum eruditam, probum & facundum, qui Regi persuaderet, ut Religionis Evangelicæ ac Reformatæ unionem promoveret: sed cui Rex, collaudato ejus proposito, benigne respondit, quod ejusmodi controversiæ ad se non pertinerent, hinc inde interferens argumenta tam de præstantia sua Religionis, quam de vanis Principum moliminiibus, qui Religionis mutandæ negotium in se præpostere suscepserunt (b). Spes tamen adhuc non exigua adfulsit Calvinianis, res suas in Suetia stabilitum iri, quam GUSTAVUS ADOLPHUS MARIAM ELEONORAM, Electoris Brandenburgici JOHANNIS SIGISMUNDI filiam, in matrimonium duxisset. Sed hæc opinio ipsos admodum fecellit, quam Regina ipsa Religionem Evangelicam professæ sit, ne quis Gustavum Adolphum Constitutioni Norcopensi de An. 1604 derogasse opinaretur. Ut in Germaniam, desolatam fere & opemanti Herois ægre anhelantem, descendit Rex fortissimus ac pio Religionis Zelo flagrans, Calvinianos clementer quidem habuit, nec tamen eorum placita in detrimentum Religionis Evangelicæ prævalere permisit. Cujus rei exemplum sit, quod cum milites Svetici Francofurti ad Viadrum inter alia Péargi Supellefilem Librariam diripiuerint, & hic Regem rogasset, juberet, libros suos sibi restitui, Rex benigne respondit, se id protinus facturum, quum Compendium suum Theologicum a corruptis repurgasset. Illo autem regente, se ab omnibus quidem, non a fide recessisse, Rex indignatus, graviter respondit: *Abi, corrige te & respice* (c). Quam a Syncretismo alienus fuit integerrimus hic Heros, vel

inde apparet, quod cum aliquando ipsi suaderetur, ut trium Religionum Evangelicæ, Reformatae ac Pontificiaæ conciliationem promoveret, prudenter respondit: *Vereor, ne dum tres illas componere laboramus, novem aliae exsurgant (d).* Nec silentio prætereundum est, quod de magnanimo hoc Rege memoriae prodit JOH. BALTH. RITTERUS, scilicet Regem rogatum, ut in Civitate Francofurtenſi Calvinianis ædificare templum permetteret, voce plane Regia respondisse, Se potius paſlurum, ut omnium suorum militum enses & hastæ cordi suo infigerentur, quam effecturum esse, ut vietricibus suis armis Religioni Calvinianaæ vel minimum accresceret (e). Licet tamen ita justos obices machinationibus Calvinianorum objecerit, non tamen eosdem oppresſit, quin potius, quoties occasio ferret, ipsorum tutelam contra vexationes Pontificiorum in ſe ſuſcepere.

(a) Vid. BAZII *Inventar. Histor. Eccles.* p. m 695, 696.
 (b) Vid. MAUVILLON *Histoire de Gustave Adolphe Tom. I.* p. m. 143. 144. (c) Vid. JOH. MULLERI *Atheismus devictus* p. 46. (d) Vid. BENZELII *Breviar. Hist. Eccles.* p. 366. (e) Vid. *Ejus dissert. de Religionis false mixtaeque in Republica damnis.* p. 26.

§. IX.

Tam Rex GUSTAVUS ADOLPHUS, quam post ejus obitum constituti Filiae Tutores, omnem navarunt operam, ut Princeps CHRISTINA, designata Svethiæ Regina, solidam vera Religionis notitiam conſequeretur. His eximiam quoque præſtitit operam Princeps CATHERINA, JOHANNIS CASIMIRI, Comitis Palatini ad Rhenum Conjux, Filia CAROLI IX, & GUSAVI ADOLPHI, non quidem Matris, attamen Patris respectu Soror: probe gnara, quot quantumque mala Ducatus Bipontinus

ponitus pertulisset Calvinianorum machinationibus & turbis. Quamvis autem Imperium Sviogoticum sub CHRISTINA esset florentissimum, id quod, post DEUM O. M. magnis illis Heroibus tribuimus, quos in honorem Saculi tunc produxit Patria: attamen inter administrationem GUSTAVI ADOLPHI & CHRISTINÆ tanta deprehenditur differentia, quanta esse solet inter masculani constantiam & semineam levitatem. Paucus ante CHRISTINÆ imperium opus Syncretisticum impigro studio & sollerti industria per Germaniam inchoaverat JOH. DURÆUS, Scoto-Britannus, qui GUSTAVO ADOLPHO etiam speciosam negotii rationem exposuit, opem ejus implorans, sed qui tantum permisit, ut cum Sacrorum Ministris, quos secum habuit, FABRICIO & JOHANNE MATTHIÆ hac de re sermones conferret; quorum ille se a proposito negotio prorsus alienum ostendit, hic autem cupide illud amplectebatur, operamque suam spondebat. Enimvero quum JOH. MATTHIÆ non solum commissum esset, ut Principem CHRISTINAM litteris erudiret, sed etiam Concionator ejus aulicus & tandem Episcopus Strengensis factus sit, probabile admodum est, quod nullam pratermisserit occasionem, qua Syncretismum stabiliret, & ita faciliorem aditum ad Religionem Calvinianam introducendam forte pararet. Accessit quoque postea Duræus in Svetiam, ut molimina sua promoveret. Heic autem ut facilem impetraret adsensum, profiteri non dubitavit, se ab illa fidei veritate, quæ in Augustana Confessione continetur, nequaquam alienum, sed eidem penitus addictum esse (a). Quam captiose autem id intellexerit, ex Prodromo ejus Irenicorum Tractatum constat, ubi in Lutheranis reprehendit, quod præcise verborum suorum formulas tantopere urgeant (b). Quorsum hæc spectabant nemini ob-

scurum esse potuit. Volebat scilicet Augustanam Confessionem non prout verba sonant explicandam, sed eum in modum, qui *Reformatæ Fidei analogiæ non repugnaret* (c). Sicut igitur Calviniani verbum Institutionis Cœnæ Dominicæ EST in SIGNIFICAT commutant; ita quoque aliis Augustanæ Confessionis verbis alium eundemque contrarium sensum adfinxit. Enimvero quum henoticis suis consiliis nihil in Patria proficeret Duræus, non hoc tam iniquitati causâ suæ, quam potius pertinaci tergiversationi unius alteriusve DEMAGOGI, ut ipse loquitur, tribuit (d); quamobrem nostrates Theologi coacti sunt in lucem publicam edere *Censuram de Instituto Duræi, Ecclesiastæ Scoto-Britanni*, cuius summam exhibet BAAZIUS (e). Nihilo tamen minus JOH. MATTHIÆ supra memoratus propensum erga Duræum semper fovit animum, & frequens litterarum commercium cum ipso habuit. Quamvis autem stabilem Religionis & fortunarum suarum sedem in Svethia nondum consequerentur Calviniani; multum tamen nostris debent, quod Pace Westphalica An. 1648 fuerint comprehensi. Post partam bello tricennali gloriam & imperium Svio-Gothicum insigniter prorogatum, Regina CHRISTINA, voluptatum, quas impenit dilexit, nova pabula quærens, sed quibus exhausta minus sufficiebat patria, concilium cepit Religionem Pontificiam, propter fercula pomparum valde commendabilem amplectendi, quod etjam propositum perfecit. Quocirca JOH. MATTHIÆ Syncretismum si non jam olim commendaverat, attamen sub finem regni Christinæ collaudavit; ita enim stimuli conscientiæ supprimebantur apud Reginam, voluptatibus tantopere addictam. Hinc enim ipsi dabatur occasio inferendi, cur voluptatibus suis remoram injiceret, quum illæcio fidei fundamento Religionem etjam Pontificiam amplecti

amplecti posset. Sed postea aliquoties testata est, se a postasiæ suæ pœnitentia duci.

(a) Vid. *Prodrom. Tract. Irenicorum* p. 111. 114. (b).
 Vid. *Prodrom. cit. p. 17.* (c). Vid. *Libr. citat. p. 15.* (d).
 Vid. *Prodr. p. 144. 145.* (e). Vid. *Invent. Hist. Eccl. p. 819.*

§. X.

Breve admodum fuit tempus, quo CAROLUS GUSTAVUS Summam Imperii Svio-Gothici tenuit, idemque continuis ac gravissimis turbis externis implicatum, sed quas plerasque ipse, qua fuit constantia, fortitudine ac felicitate, adeo celeriter dissipavit, ut dubium sit, an exteris regiones citius viderit Mars hic Gothicus, an vero easdem superaverit. Profecto instar fulminis fuit, quod impedimenta, victricibus suis armis objecta, non tam removerit, quam valide perruperit. Sed altius erit repetendum. Interea dum fortissimus hic Heros auspiciis Christianæ in bello Germanico agmina Svecorum duceret, Religionen quoque Evangelicam sollicite tuebatur, eoque rem perduxit, ut CAROLUS LUDOVICUS Palatinus promitteret, si non modo Lutheranis, ubi quinquaginta eorum reperirentur, concessurum, ut Praeconem sibi eligerent, sed & ei Salarium ex redditibus Ecclesiasticis constituturum. Enimvero Princeps hic nihil eorum, quæ CAROLO GUSTAVO promiserat, servavit; sed contra ea Lutheranos in suis terris graviter premere, sibi religioni non duxit. Porro in ipsa Capitulatione seu satisfactione Upsaliæ die 6 Junii An. 1654 data & §. 2. CAROLUS GUSTAVUS sese obstringit, ne publicis muneribus quempiam admoveat, nisi qui Religionem Evangelicam profiteatur, & ab isthac prærogativa nominatim excludit Pontificios, Calvinianos, Photinianos, & Anabaptistas, nec non notorie impios. Huic autem generali

nerali decreto restrictionem quandam annexit §. III., quæ concernit partim Legatos aliorum Principum, quibus Religionis exercitium in suis ædibus concedit, partim alios, quorum insignia essent in Patriam merita. De his autem ita loquitur: Hvad widkommer andre främmande, som sig med tjenster här i Riket, anthen hos Oss, eller för handel och handwerker skall inlåta, wistas eller nedersättja; the måge så länge the sig in privato rolegen, stilla och uthan förgälse förhålla, förrätta sina tjenster och andre sine skålige förehafwande, och för sig sjelfwe i sine hus göra thet theras Gudstjenft fordrar, men hvarken hålla samquembder hemligen eller uppenbarligen, eller draga någon Lärare in i landet och i theras hus under hwarjehanda prætext, anthen til Religions öfning, theras barns information, eller annan sådan intention, wid högsta straff til górande, som framdeles specificeras och beskrifvas skal. Nihilo tamen minus supra memoratus JOHANNES MATTHIÆ An. 1656. Litteras ad Regem dedit, quibus compositionem controversiarum, inter nostrates & Calvinianos agitatarum, suadebat; etiam si sciret, Regem jam An. 1655. Edictum de Christianæ nostræ Religionis vero exercitio & conservatione promulgasse: in quo iterum tum alii tum Calviniani *in Regno & ejus incorporatis Provinciis Sacra sua publica exercere prohibentur.* Apographum harum Litterarum exhibet Duræus in Prodromo (a). Sed nullam harum rationem habuit Rex, meliora edoctus ab Archi-Episcopo JOHANNE C. LENÆO, qui ostendit: Sacmentarios pro veris Ecclesiæ membris, salva sinceritate fidei recipi non posse (b).

(a) P. 322 - - 331. (b). Vid. *Ejus Traælat. de Veritate & Excellentia Religionis Christianæ* p. 124, 128.

§. XI.

Defuncto Rege CAROLO GUSTAVO, relictoque Principe impubere, regnum Svetiaæ aliquamdiu sub Tutoribus fuit. Sicut igitur Duræus, dum in Patria commorabatur, experientia didicerat, quosdam Procerum a pacificis suis, quæ venditabat, consiliis non prorsus alienos esse; ita negotium a se suscepsum sub Tutelari ista Potestate melius successorum sibi persualit; quare opus suum Syncretisticum iterum redintegravit, sed quibus moliminiibus tales obices Episcopi & ceteri per Suethiam Sacrorum Antistites opposuerunt, ut lacertos in hoc simulo amplius movere non potuerit. Vixit adhuc ea tempestate celebris ille Episcopus Strengnesensis JOHANNES MATTHIÆ, sed qui in suspicionem Cleri jam priudem inciderat, quod auctoritatem quorundam Librorum Symbolicorum labefactaret. Imprimis autem Theologi Upsalienses Sententiam suam de Libro hujus Episcopi, qui inscribitur: *Ramus Pacis Olive Septentrionalis An. 1662* sincere exposuerunt; quare Rex ipse peculiari Edicto d. 15 Julii An. 1662 damnavit propositum JOHANNIS MATTHIÆ & consilia librosque, quibus diversarum Sectarum tolerantia siadebatur. Et quum JOH. M. causam suam malam defendere nihilo minus perrexisset, CAROLUS XI novo Edicto illi obicem posuit; quo facto, Episcopus henoricis consiliis circumventus in meliorem adducebatur opinionem (a). Post quod ut tranquilla fruenter senectute pedum Episcopale depositus (b). Anno sequente impiger Duræus per socium suum Melletum misit Propempticum Irenicum ad Academias Boreales, cui respondit Eneval. SVENONIUS, tunc temporis Theologus Aboënsis famigeratissimus, docuit que: *parem ab ipsis offerri Duromelleam, que nec frigida nec calida esset, sed tepida, adeoque DEo abominabilis, Apoc. III. 15;* tandemque con-

cludens, Duræum fuisse pertinacem adversantium Luthe
 ranorum & Calvinianorum Doctorum coagulo ven
 dendo mercatorem (e). Deinde quum in Patria auspiciis
 Regis gl. m. CAROLI XI Ordinatio Ecclesiastica in lu
 cem prodiret, Calviniani antiquas Regni contra diversa
 rum Religionum adseclas Constitutiones denuo confir
 mari, ægre ferentes, Aulæ Brandenburgicæ intercessio
 nem expetebant; semina discordiæ sparsuri, nisi Rex
 Svethiæ sapienti responso machinationes eorum funditus
 evertisset. Litteris enim Responsoriis die 17 Martii An.
 1688 datis monebat, quod Leges Svethiæ fundamenta
 les inter alia sancirent, Liberum Religionis exercitium
 non nisi Lutherano - Evangelicis heic concedi posse:
 quod Rex quilibet circa regni auspicia hanc capitulatio
 nem jurejurando confirmare teneretur: interim tamen
 recentiori ævo & Calvinianis indultum esse, ut
 dum tranquille viverent, nec alias in suas partes per
 ducere niterentur, in Svethia tuto consistere, &, quas
 didicerunt, artes exercere possent. Antequam hoc ino
 pinato accidit, Rex GUSTAVUS XI in majorem Reli
 gionis Evangelicæ tutelam, edendam curaverat Constitu
 tionem Religiosam An. 1677, in qua rursus Laicis tan
 tum diversarum Religionum nominatim conceditur, pe
 nates suos in patria constituere, & negotia sua exercere
 privatæque pietati studere. Immo sequentibus annis pa
 ternam curam, qua in veram Religionem ferebatur,
 variis Edictis significavit Magnus hic Rex. Ulterius
 quum Rex una cum toto Regno Jubilæum An. 1693 in
 memoriam Concilii Upsaliensis, quo Lithurgicæ perse
 cutioni finis est impositus, celebraret, Calviniani, exhibi
 hito libello supplici, publicum Religionis suæ exercitium
 petierunt. Verum Clerus Svio - Gothicus satis superque
 demonstravit, his moliminiibus obstatre fundamentalem

inter

inter nostram doctrinam & Calvinianam dissensum, & argumenta, quibus usi fuerant Reformati, fucata & nullius ponderis esse (*d*). Nec silentio nunc erit prætereundum, quod Duræus An. 1671. Cassellis etiam miserit litteras ad Regem CAROLUM XI, quibus pacificationis negotium, quod per omnem vitam curæ cordique ipsi fuerat, vehementer commendabat (*e*); sed verisimile est, quod nullum tulerit responsum, saltem nullum ejus vestigium hactenus deprehendimus.

(*a*) Vid. NIEHENKII *Orat. Sæcular.* An. 1731 *habit.*
 p. 23, 27 (*b*). Vid. RHYZELII *Episcoposcop.* p. 228 (*c*). Nic.
 BERGII *Præfat. Censuræ.* (*d*). Vid. NIEHENKII *Orat. cit.*
 p. 28 (*e*). Vid. *Orat. modo citat.* p. 29.

§. XII.

Sub imperio Svetiæ Regis CAROLI XII, Achillis nostri Hyperborei, variis bellorum motibus admodum servebat Orbis Svio-Gothicus; adeoque quum ipsi Incolæ non satis stabiles fortunarum sedes heic invenirent, nedum exteri, præsertim qui diversam profitebantur Religionem, in nostra Patria, penatibus suis tranquilla polliceri sunt ausi domicilia. Quod tamen Calviniani aliqui suis non defuerint partibus, sed in turbido piscari voluerint, vel inde patet, quod magnanimus hic Rex, Religionis ac fidei servantissimus, varia Edicta in conservationem veræ Religionis edenda curaverit. Enimvero præcipue notari merentur molimina Calvinianorum hac tempestate extra Svetiam, quibus id egerunt, ut in unionem Ecclesiæ Evangelicæ, salvis tamen suis dogmatibus, pervenirent. Scilicet quum CAROLUS XII Lütheranis, in Silesia variis adversitatibus procellis tunc agitatis, intercessione sua gravaminum non paucorum levamen impetrasset, Reformata Ecclesiæ addicti jactabant, ista

privilegia & jura Lutheranis competentia ad se quoque pari ratione pertinere. Obtulerant igitur Baroni de STRAHLENHEIM Scriptum sub titulo: *Der Evangelisch-Reformirten Jura im Herzogthum Sblefien*, ut ab eo Commissariis Cælareis mitteretur. In hoc pro genuinis Augustanæ Confessionis Sociis sese venditabant; quum tamen Sveci in Tractatione Pacis Westphalicæ diserte testati essent, SE LEGE REGIA SVECICA prohiberi, quominus Reformatos pro Sociis Religionis habeant (a). Sed ne sic quidem animum desponderunt, verum in alio Scripto, quod *Argumentorum & Rationum Evidentium* appellatione insigniverant, Regem Svethiæ cum Imperatore Germanico ferme collidere laborarunt, graviter contendentes: *Es wurden Ibro Königl. Maj:t von Schweden Selbst hoffentlich als Principal Compacient nicht zugeben dass die Reformirten unter dem Nahmen der Augsp. Confessions Verwandten nicht solten begriffen seyn, noch der Rechten, Beneficien und Freyheiten zu genissen haben, welche man denen Evangelisch-Lutherischen accordiret.* Id quod Svecis gravissimo tunc bello implicitis ingens periculum adferre potuisset. Minabantur quoque Calviniani, Reges Angliae & Borussiæ nec non Ordines Hollandiæ causam suæ Religionis in se suscepuros, nisi pace Altranstadiensi comprehendenderentur. Sed quam vanæ istæ fuerint minæ, vel exinde patet, quod Angliae Regina ANNA in Epistola ad Regem CAROLUM XII gratulatoria, Reformatos sic dictos ab Evangelicis aperte distinxerit, & privilegia a Rege Svethiæ Evangelicis impetrata ad Reformatos non pertinere agnoverat, *se tamen omni studio anniti, scribens, ut Reformatis ita dictis similia privilegia procuraret iisis, quæ Evangelici Regis Svethiæ intercesione consecuti essent.*

(a) Vid. Pfanneri *Histor. Pacis Westphalicæ* p. 614.

§. XIII.

Interea dum Rex CAROLUS XII externis eisdemque longinquis distinebatur bellis, in partem administrationis imperii Svio - Gothicu venire permisit Sororem Germanam, Serenissimam Principem, ULRICAM ELEONORAM, quae sicut verae pietatis fuit studiosissima, ita integritatem Religionis nostræ idoneis munire Edictis non intermisit. Postquam ipsa ex suffragiis Celsissimum Regni Ordinum Fratri Augustissimo in Imperium Svio - Gothicum successit, in satisfactione sua die 21 Februarii An. 1719 data inter alia sancte promisit, ne ullum qui diversam ab Evangelicis profitebatur doctrinam, ad publica promoveret munera, Legatis tamen, Mercatoribus & Opificibus consuetas immunitates indulgens. Circa hoc autem tempus Calvinianus quidam in lucem, publicam edidit *Informationem fundamentalem de Unione Hereditaria Svecica*; atque in ea pag. 15 audacter contendit: *Reformatos, non minus quam Lutheranos, invariatam Confessionem Augustanam profiteri*. Quamvis autem hoc Scriptum valde intempestivum, habita circumstan- tiarum Politicarum ratione, fuerit; non tamen appetet, crambem hanc Calvinianorum toties recoctam cuiquam arrisisse, aut Svecorum animos commovisse.

§. XVI.

Postquam Regina Svetia modo laudata per anni spatium Sceptrum imperii Svio - Gothicu sola tenuisset, consentientibus & suffragantibus Celsissimis Regni Ordinibus, in pignus summi amoris illud tradidit Conjugi Augustissimo, FRIDERICO, Principi Hallo - Castellano, cuius ingentia erant in Patriam merita. Profitebatur ille quidem ab initio Religionem Reformatam, quippe in qua educatus fuit; sed interea dum in Syethia versabatur,

tur, sicut excuso fuit ingenio, ita in certiorem nostræ Ecclesiæ dogmatum cognitionem pervenire cupiens, in que illis se erudiri passus, his tandem suum præbuit ad sensum. Quare etiam in solemani satisfactione Ordinibus Regni Sveti An. 1720 præfita & jure jurando confirmata, profitetur: *Ex quo post meum in hoc regnum adventum propiorem & accuratiorem notitiam puræ Evangelicæ doctrinæ, quam antea consecutus sum, non tantummodo me paratum deprehendo ad eam amplectendam, & ad renunciandum Reformatæ Religioni; sed & certo promitto, me ad ultimam vitæ meæ horam in illa perseveraturum: & siquidem DEo placuerit, Ei, quam nunc habeo, Conjugi liberos largiri, curaturum, ut in Lutherana Religione edacentur. &c. &c.* Art. I. Promitto neminem unquam alterius Religionis, sive sint Papistæ, Calviniani aut Reformati, Anabaptistæ, Photiniani, aliive Fanatici &c. ad ullæ regni officia exhibitum iri. Imprimis nemo alterius doctrinæ in Episcopum, Superintendentem, Concionatorem Aulicum, Professorem &c. constituetur. Nec minus Art. 3 continetur: *quod peregrinorum liberi, si jura circium consequi velint, Religionis Legibus & Edictis conformes se gerere, & in ante commemorata Evangelico - Lutherana Religione educari debeant.* Quamvis autem his tam innoxii cautelis nihil imminuta essent privilegia, quæ in Patria nostra pridem obtinuerant Reformatæ Ecclesiæ addicti, licet etiam gl. m. Reges CAROLUS XI & CAROLUS XII, multa in præsidium & emolumentum hujus Coetus præstisissent; nihilo tamen minus Bipontini Calvinistæ An. 1720 in Comitiis Ratisbonensibus audacter cavillabantur, ac si Evangelico - Lutheranis ex redditibus Ecclesiasticis plus addixissent, quam secundum Instrumentum Westphalicum fieri debuisset. Enimvero quum Elector Brandenburgicus FRIDERICUS WILHELMUS in Epistola ad

CARO-

CAROLUM XI fateatur, Antecessoribus Ejus in throno Svethico id deberi, quod Pace Westphalica comprehensi essent Calviniani, & hi ante Instrumentum Osnabrugensem nullis peculiaribus in Germania privilegiis gauderent, fatis evidens est, quod Lutheranis in Palatinatu Bipontino universi reditus Ecclesiastici secundum Constitutiones Pacis Westphalicae essent restituendi, quos Calviniani deinceps sive per vim sive subdole ad se pertraxerant. Sed ad Svetiam revertimur, ubi composito bello & redditu tot votis expetita pace, nova rerum facies apparere coepit, omnium animis in id intentis, quomodo felicitatem publicam per culturam variarum artium, quæ, fremente Marte, obriquerant, nunc promoverent. Quum vero opus tantæ molis in initio præsertim succedere non posset, nisi peregrini, harum Artium periti, in Patriam arcesserentur; hi autem oblatas conditiones, quantumvis lautas, forte rejicerent, nisi aliquod Religionis suæ exercitium ipsis concederetur; igitur Celsissimi Regni Ordines in Comitiis An. 1723 habitis de hac re gravissime deliberarunt, siuumque decretum paterna Regis Augustissimi curæ commiserunt, Qui etiam obtentis Sententiis Regiorum Collegiorum Cancellariæ & Commerciorum tandem die 22 Decembr. An. 1724 decrevit, quod Opifices Reformatæ Ecclesiæ addicti, qui in oppido w. Gothiæ Alingsåhs consederant, in domo quadam consuetis diebus festis ac feriis Religionis suæ exercitia libere possent peragere, nondum tamen ipsis fuit indulatum, ut vel Templo vel Scholis vel campanis uterentur: simulque statutum, ut Sacrae Conciones haberentur illa lingua, quæ Opificibus esset vernacula, nec Sveci his interesse possent exercitiis. Perhibent quoque quod in eisdem Comitiis Consul Wisbyensis questionem moverit: annon consultum foret, Reformatos Opifices in istam Urbem admitti, qui ipsam diu desolatam & templo in accervos la-

pidum

pidem mutata iterum exstruerent. Sed ne desiderata immunitas Reformatis ibi concederetur, quod non paucis placuit, impedivit Clerus Svio-Gothicus. Interim tamen sequenti tempore aucta sunt Reformatæ Ecclesiæ privilegia, ejusque alumnis ex decreto Ordinum Regni concessum, ut libero Religionis exercitio per Patriam nostram fruerentur: qua de re ita loquitur Constitutio Regia die 27 Augusti 1741 data. Säom wi uppå Riksens Ständers Underdånige intrådande på sidst öfverståndna Riksdag i näder för godt funnit och faststålt, at förunna en fri Religions öfning här i Wårt Rike åt alla dem, som äro af then Engelske och Reformerte Kyrkan: altfä hafve Wi fådant til alla wederbörandes esterrättelse, så in som utom Rikes, härmend allmenneligen welat kundgöra och tilkänna gifva låta: försäkrande therjemte i näder, at the af bemälte Engelske och Reformerte Kyrka, som antingen sig här i Riket redan nedsatt och befinna, eller äro sinnade sig här at nedslättja, skola icke allenast, som förbemålt är, njuta en fri Religions öfning hårftådes, samt hafva tilstånd, uti Sjöfåderne, Carlscrona undantagandes, få upbygga och hafva egna Kyrkjer, utan jemvel få njuta Wårt Nådige Beskydd, samt alle öfrige förmåner, hwaraf alle andre Wåre trogne underlåtare, enligt Riksens Lagar och Regerings-Form, sig i underdårighet hafva at hugna.

Quæ adhuc restant & recentissima Ecclesiæ Reformatæ in Svetia concernunt fata, in aliud tempus, si DEo visum fuerit, differimus: cordatos Lectores iterum iterumque rogantes, ut innoxios conatus ea perstringant censura, quæ veræ pietatis alumnos decet.

S. D. G.